

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLXXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

nomine nostri non leviter perturbantur. Atque hoc minus etiam sperari potest fatalium horum tumultuum sedatio. Advenerunt Legati Aquitani diu expectati. Hispanus ad littora Africæ post expugnatam Goletam à Turca, urbes ad littora maris sitas muris nudat, ne nidificare hostis possit, munit alia aliquot loca, cum primis Insulas. Pecuniam corradit & extorquet ab invitis, quia mosem belli sustinet solus. Posteaquam Turcicus Imperator pacta à patre cum Venetis sancita, & inducias cum Imperatore octennales servare decreverit. Ad scriptum D. Andreæ responsum Tygurinorum videbis, de quo, quæso, tuum perscribas iudicium, inspexi obiter pauca, & miror, non dedisse solidiora; forte quod senecta potissimum autorem gravet, & perturbet affectus. Prodiit aliud Neseckii cujusdam scriptum, hoc multo magis vafrum, ad quod mihi erudite & graviter respondiisse videtur Theologus Montbelgardensis, Efrein, quod tamen nondum in lucem prodiit. Id unum ergo optarim nunc, ut si (quod futurum arbitror,) D. Jacobus Hyperaspisten pareat, moderationem & gravitatem servet Theologo dignam, neque cum ipsis deinceps paria faciat, causæque bonitati adjungat temperamentum, ad ædificationem piarum mentium complurium, quæ moribus offenduntur, futurum. Sed bene vale in Christo Jhesu cum uxore totaque familia & Symmifis. Datae Basileæ 17. Martii, Anno 75.

R. d. t. ex animo totus

S. Sulcerus.



CLXXXIII.

S. P.

Quæ postremò ad me scripsisti, Vir Reverende & charissime frater, de controversia vestra, nonnullam sollicitudinem incusserunt. Sed ne sic quidem sperare desino eventum faustum, utcumque cum difficultate obrineatur, quem ut donet Dominus, non desinemus supplicibus votis precari. Res Gallicæ etiamnum incerto in statu pendent. Pergunt ad Regem tredecim ordinum Helveticorum Legati, alii gratulaturi ob novi regni auspicia; alii verò, hoc est, qui Evangelium profitentur, etiam ad pacem hortaturi. Proposita sunt capita ab Hugonotis, quos vocant, & Aquitanis, quibus conantur restringere furores & conatus tyrannicos, ac præter religionis libertatem, politica quàm plurima proponunt, ut, quanquam bello defensus Rex, ad pacem respiceret, cum matre & novè nupta Regina, vix tamen creditur ea concessurus, maximè cum ob securitatem certas easque validas civitates in sua potestate retinere.

tinere velint, praefidiis firmatas. Retinet ergo legionem Helvicam, licet equitatum Germanicum dimiserit. Desiderant & Hugonoti cum complicibus pacem, ut qui gravissimè attriti, respirare saltem vellent, nec tamen committendum existimant, ut eam habeant intutam subdolanque. Et proinde in acie novaculæ jam res versatur. At quis omninò sit futurus eventus, dies paulò post declarabit. Condæus etiamnum apud nos degit sub Magistratus protectione, civibus parum gratus. Et quia ex suis quidam petulantius agere ceperant, graviter sunt multati. Cætus nostrus Ecclesiasticos accedit interdum, sed privatam domi habet communionem, non sine nostrorum scandalo. Si pax in Gallia sanciat, patriam repetet: sin abeat in ventum consilia, aliam suarum rerum rationem inibit necessariò. Si quid accepero certi, te non celabo. Bene vale in Christo Jesu cum uxore, filiis, totaq; familia & symmisticis fratribus. Salutant te Coccius, Fuglinus & Grynæus. Basileæ, 22. Aprilis, Anno 75.

R. d. t. totus ut semper

S. Sulzerus.

CLXXXIV.

Salutem in Christo.

SI durissimè mecum expostules, Reverende & Clarissime Vir, Domine & frater honorande, non habeo, quod opponam, nisi ingenuam peccati mei confessionem, nisi forte myriades negotiorum meorum clemens respicere, & mihi veniam dare digneris. Quid enim primo agam in tanta negotiorum multitudine, vix videam. Et nuncii cum accedunt, ego vel absūm, vel adeo occupatus sum, ut vix hincere possim. Et quantum de mea valetudine divinare possum, durabilis non erit, usque adeo video meas vires exhauriri. Dominus pro sua bona voluntate mecum agat, quod videbitur & ipsi & Ecclesiæ & meis bonum. Quod vero ad tuum negotium, seu potius Ecclesiæ & Scholæ attinet, vehementer miror, tamdiu extrahi; Sed spero hanc moram neque negotio ipsi, neque tibi, neque tuis nocituram. Habent sæpenumero magna commoda etiam breves moræ. Majora ergo, ut spero, magna hæc mora. Et si hostes tui, veritate armati essent contra te, fortassis non tam diu fuisset extractum. Nec ignoras, quam nunc occupatus sit DEUS negotiis in Gallia, Belgico, expeditione Turcica, ut fortassis interea tibi sit expectandum, donec sese expediverit, ut possit etiam in causâ tua judicare. Quapropter te per Christum Jesum, per tuam ipsius & Ecclesiæ salutem oro, ne te ipsum variis curis crucies, fecisti officium, quod reliquum est, DEO & Magistratui commendes. Uticunq; enim cadat, pura

T t t 2

est